

Zeitschrift: Museum Helveticum : schweizerische Zeitschrift für klassische Altertumswissenschaft = Revue suisse pour l'étude de l'antiquité classique = Rivista svizzera di filologia classica

Herausgeber: Schweizerische Vereinigung für Altertumswissenschaft

Band: 64 (2007)

Heft: 3

Artikel: Ad Frontini strategemata

Autor: Lucarini, Carolus M.

DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-49512>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 16.01.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Ad Frontini *strategemata*

Carolus M. Lucarini, Bonna

Cum Frontini *Strategematibus* emendandis multi et clari viri docti operam navaverint, quorum agmen claudit bibliothecae Teubnerianae editor R. I. Ireland¹, exstant nihilominus aliquot loci quibus apta medela adhuc adhibenda est.

1 praef. 2: *In primo erunt exempla quae competant proelio nondum commisso; in secundo quae ad proelium et confectam pacationem pertineant*. Cum libri alterius materies ita digesta sit, ut exempla I–VIII ad ipsum proelium pertineant (*ad proelium*), IX–XIII ad ea quae, ne pugna commodum exstincta iterum misceatur, agenda sint (*confectam pacationem*), verborum nexus *ad confectam pacationem* mihi procedere non videtur, cum *pacatio* «restitutionem pacis» significet (cfr. ThLL s.v.), ea autem quae Frontinus in altera parte libri II suggerit ad pacem componendam, non ad ipsam retinendam, cum iam parta sit, spectent. Quae cum ita sint mihi ita legendum videtur: *et conficiendam pacationem*.

1.1.4: *Tarquinius Superbus pater, principes Gabinorum interficiendos arbitratus, quia hoc nemini volebat commissum, nihil nuntio respondit qui ad eum a filio erat missus*. Editores haec verba ut genuina recepisse satis mirari nequeo: eliceres enim ex his exstitisse et Tarquinium Superbum filium (cfr. e.g. 2.4.1 *Papirius Cursor filius*), quod nullo modo constat². Delendum est sine dubio *pater*, ut etiam 3.3.3 monstrat.

1.4 inscr.: *De transducendo exercitu per loca hosti infesta*. Et hic mihi videtur interpolatio subesse, cum verbum *hosti* nullo modo procedat; Britannici editores ita verterunt: «On leading an Army through Places Infested by the Enemy», quod cum Oudendorpi coniectura (*hosti insessa*) fortasse congruat, nullo modo cum librorum lectione. Sed et Oudendorpi emendatio magis speciosa quam vera est, cum aliqua exempla in hoc capite prolata (e.g. 1) ad loca insessa non spectent. Quae cum ita sint verbum *hosti* delendum est.

1.5.7: *Lysander Lacedaemonius, cum in portu Atheniensium cum tota classe obsideretur, obrutis hostium navibus ab ea parte qua faucibus angustissimis influit mare, milites suos clam in litus egredi iussit et subiectis rotis naves ad proximum portum Munychiam traiecit*. Quid significet *obrutis hostium navibus* non video neque Oudendorpi explicatio («per mersas ab hostibus de industria naves, ab ea scilicet parte qua deberet cum sua classe exire, unde obstructus ei erat ex-

1 Iulius Frontinus, *Strategemata*, recensuit R. I. Ireland (Leipzig 1990). Verba Frontiniana collegit G. Bendz, *Index verborum Frontinianus* (Lundae/Lipsiae 1939).

2 Librorum lectio et Loebianos editores in errorem induxit, quippe qui crediderunt hic de Tarquinio Prisco agi (cfr. Frontinus, *The Stratagems and the Aqueductus of Roma*, English Transl. by C. E. Bennet, rev. by C. Herschel, ed. and prep. by M. B. McElwain (London/Cambridge, Mass. 1925) ad loc.).

itus») mihi suadet, praesertim cum emendatio facillima sit³: lege *obditis hostium navibus*, cfr. Florus 1.41.10: *ipsas Propontidos fauces Porcius Cato sic obditis navibus quasi porta obseravit*.

1.5.16: *L. Minucius consul in Liguria, demisso in angustias exercitu, cum iam omnibus obversaretur Caudinae cladis exemplum, Numidas auxiliares, tam propter ipsorum quam propter equorum deformitatem despiciendos, iussit ad-equitare faucibus quae tenebantur. primo intenti hostes ne lacesserentur, stationem obiecerunt. de industria Numidae ad augendum sui contemptum labi equis et per ludibrium spectaculo esse adfectaverunt. ad novitatem rei laxatis ordinibus barbari inspectaculum usque resoluti sunt. quod ubi animadverterunt Numidae, paulatim succedentes additis calcaribus per intermissas hostium stationes eruperunt: quorum deinde cum proximos incenderent agros, necesse Liguribus fuit avocari ad defendenda sua ... Verbis quod ubi ... eruperunt menda sine dubio subest, cum paulatim succedere nullo modo eiusdem temporis atque erumpere sit⁴, quod monstrat non solum ratio sed etiam fons e quo Frontinus pendet, Livius scilicet (35.11): *Numidae equos conscendunt et obequitare stationibus hostium, neminem lacessentes, coeperunt. Nihil primo aspectu contemptius [...] Hunc contemptum de industria augentes labi ex equis et per ludibrium spectaculo esse. Itaque qui primo intenti paratique [scil. Ligures, Romanorum et Numidarum hostes] si lacesserentur in stationibus fuerant, iam inermes sedentesque pars maxima spectabant. Numidae adequitare, dein refugere, sed propius saltum paulatim evehi, velut quos impotentes regendi equi invitos efferrent. Postremo subditis calcaribus per medias statione hostium erupere et in agrum latiore evecti omnia propinqua viae tecta incendunt. Quae cuicumque opinor suadent in loco Frontiniano aliquid post verbum Numidae excidisse. Fuit fortasse ... Numidae, <antea> paulatim succedentes, additis calcaribus ...**

1.8.8: *Q. Metellus adversus Iugurtham bellum gerens missos ad se legatos eius corrupit ut sibi proderent regem. cum et alii venissent, idem fecit. [...] plurimum tamen consecutus est: nam cum interceptae fuissent epistolae eius [scil. Q. Metelli] ad regios amicos scriptae, in omnis eos rex animadvertit, spoliatusque consilia amicos postea parare non potuit. Lege: spoliatusque amicis consilia postea parare non potuit (cfr. de nexu 'consilia parare' ThLL s.v. 'paro' col. 416 ll. 60sqq.).*

2.3.22b: *Adversus hanc ordinationem [scil. Pompei in pugna Pharsalica] C. Caesar et ipse triplici acie dispositis in fronte legionibus sinistrum latus, ne circumiri posset, admovit paludibus [...]. sex deinde cohortes in subsidio retinuit ad res subitas, et dextro latere conversas in obliquum, unde equitatum hostium exspectabat, conlocavit. nec ulla res eo die plus ad victoriam Caesari contulit: effusum namque Pompei equitatum inopinato excursu averterunt caedendumque tra-*

3 De hac re alibi non constat (cfr. Irelandi apparatus ad locum): ceterum verbum «obsidere» navibus depressis parum aptum videtur.

4 Lege conversionem quam Britannici editores praebuerunt: «When the Numidians noticed this, they gradually drew nearer, and putting spurs to their horses, dashed through the lightly held line of the enemy.»

diderunt. Ultima verborum pars manifesto mendo laborat, cum Pompei equitatus a sex illis cohortibus aversus profugerit neque ab ullo caesus sit (cfr. locos quos Ireland in apparatu conguessit). Sine dubio Frontinus dixit Pompei exercitum ab illis cohortibus equitatu⁵ spoliatum a Caesarianis trucidatum esse (cfr. Caes. B. C. 3.93.5–7: *quartae aciei, quam instituerat sex cohortium numero, dedit signum. illae celeriter procurrerunt infestisque signis tanta vi in Pompei equites impetum fecerunt, ut eorum nemo consisteret, omnesque conversi non solum loco excederent, sed protinus incitati fuga montes altissimos peterent. quibus submotis omnes sagittarii funditoresque destituti inermes sine praesidio interfecti sunt*; App. Civ. 2.78: Καίσαρος δὲ τὸ σημεῖον τοῖς ἐφεδρεύουσιν ἄραυτος, οἱ μὲν ἐξαναστάντες ἐς τοὺς ἵππους ἐχώρουν [...] οἱ δ' οὐκ ἐνεγκόντες αὐτῶν οὔτε τὴν ἀπόνοϊαν οὔτε τὰς ἐπὶ στόμα καὶ κατ' ὀφθαλμούς πληγὰς ἔφευγον ἀκόσμως. Καὶ τὸ ἐνταῦθα πεζὸν εὐθὺς ἰπέων ἔρξιμον γενόμενον ἐκυκλοῦντο οἱ τοῦ Καίσαρος). Aliqua igitur exciderunt, unde ita scribendum mihi videtur: *averterunt* (...) *caedendumque tradiderunt*.

2.5.29: *Scipio Africanus, cum adversa haberet bina hostium castra, Syphacis et Carthaginensium, statuit Syphacis, ubi multa incendii alimenta erant, adgredi nocte ignemque inicere, ut ea re Numidas quidem ex suis castris trepidantes caederet, Poenos autem ...* Fortasse addendum *castris* (effusos) *trepidantes*, cfr. 2.5.8, 2.6.7, 3.2.5.

2.5.31: *curatum quoque ne quis effugeret: nam reliqui ccl equites praemissi facile per compendia itinerum effusis habenis, [...], conversi occurrerunt eis qui primi fugerant*. Fortasse *reliqui(s)* scribendum.

3.2.1: *Domitius Calvinus cum obsideret Lueriam oppidum Ligurum, [...], circumire muros frequenter omnibus copiis instituit easdemque reducere in castra. qua consuetudine inductis [ita] oppidanis ut crederent exercitationis id gratia facere Romanum, et ob hoc nihil ab eo conatu caventibus, morem illum obambulandi in subitum direxit impetum, occupatisque moenibus expressit ut se ipsos dederent oppidani*. Verbum molestissimum *ita* bene sustulit Ireland, sed fortasse leviori medela magis profeceris si scripseris *inductis iam oppidanis ut crederent*, cfr. 2.1.4, 3.16.2.

3.9.2: *Fabius Maximus Cunctatoris filius apud Arpos praesidio Hannibalis occupatos, considerato situ urbis, sescentos milites obscura nocte misit qui per munitam eoque minus frequentem oppidi partem, scalis evecti in murum, portas revellerent. hi adiuti decidentium aquarum sono, qui operis strepitum obscurabat, iussa peragunt: ipse dato signo ab alia parte adgressus cepit Arpos*. Verbum *alia* neque rebus gestis aptum est (cfr. Liv. 24.46–47) neque huius capituli inscriptioni (*De inruptione ex diversa parte quam expectabimur*), unde Oudendorp *ab ea parte scripsit*. Ego, ne tradita nimis immutemus, legerem *ab illa parte*.

3.9.6: *Alcibiades dux Atheniensium Cyzicum oppugnandae eius causa nocte improvisus accessit et ex diversa parte moenium cornicines canere iussit. sufficere*

5 Qui, cum profugissent, evaserunt neque trucidati sunt.

propugnatores moenium poterant: ad id latus a quo solo se temptari putabant <cum> confluere, qua non obsistebatur muros transcendit. Cum et aliqua sine dubio exciderint (*cum* redintegrarunt codices interpolati) et ante *ad id* coniunctio aliqua adversativa desideretur (de <*sed*> *ad* cogitaverat Gundermann), melius est ita locum refigere *poterant: <sed cum> ad id latus.*

3.9.7: *Thrasybulus dux Milesiorum, ut portum Sicyonorum occuparet, a terra subinde oppidanos temptavit, et illo quo lacessebantur conversis hostibus classe in<ex>spectata portum cepit.* Cum verbum ‘quo’ semper locum petitem, numquam locum per quem itur, significet (cfr. *Index verborum Frontinianus*, cit., s.v.), ego *qua lacessebantur* scribendum censeo (cfr. 1.5.23 *quaque rarissimi obstabant erupit*, 3.9.1 *qua non exspectabatur erupit*, 3.9.6 *qua non obsistebatur muros transcendit*, 3.9.9 *qua non cavebatur subiit castellum*, cfr. et 1.1.6, 2.12.3, 3.8.3; ceterum verba ‘quo’ et ‘qua’ et alibi apud Frontinum confunduntur, cfr. 1.4.4).

3.17.6: *C. Caesar in Gallia, deletis ab Ambiorige Titurii Sabini et Cottae legatorum copiis, cum a Q. Cicerone (qui et ipse oppugnabatur) certior factus cum duabus legionibus adventaret, conversis hostibus metum simulavit militesque in castris [...] tenuit.* Quo hostes se converterint non intelligitur; ego collato Caes. *B. G.* 5.49.3 *adderem conversis <in se> hostibus.*

Korrespondenz:
Carlo M. Lucarini
Philologisches Seminar
Universität Bonn
Am Hof 1e
D-53113 Bonn